

Michael Cobabus   Stephanus Derenthal

**Disputatio Analytico-Theologica II. : De Statu Et Officio Novi Hominis, super Cap. VII. Epist. ad Rom.**

Rostochii: Richelius, 1667

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740047760>

Druck   Freier  Zugang



RU theol. April 1667

*Cobabeu, Michael/a*  
Derenthal, Stephan.







I. N. J.  
DISPUTATIO  
ANALYTICO-THEOLOGICA II.

DE  
STATU  
ET  
OFFICIO NOVI  
HOMINIS,  
Super Cap. VII. Ep. ad Rom.

36.  
264  
*Quam*  
DEO juvante, & Pl. Rev. Facultate  
Theol. consentiente,  
*Sub Præsidio*

DN. MICHAELIS COBABI,  
SS. Theol. D. & Prof. Publ.

DN. Hospitis ac Præceptoris sui ætatem  
colendi, observandi,  
*Eruditorum examini publico*


*Exhibet*  
STEPHANUS Dereenthal /  
Riga-Livonus.

*In Auditorio Majori die Aprilis.*

☞ (: o : ) ☞

ROSTOCHII,

Typis Jacobi Richelii, Senat. Typogr:  
Anno MDC LXVII.



VIRIS

*Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis & Consultiſſimis*

DN. HENRICO von Tunderfelden/

Reip. Revaliens. COS. graviff.

DN. HENRICO Sonnen/ Synd.

ejusdem Reip. meritiff.

*Ut &*

VIRIS

*Stemmate, Virtute & Doctrina*

*Nobiliff. ac Praclariff.*

DN. BERNHARDO von Rosenbach/

J. U. Candidato præcellenti,

DN. CLAUS-JOHANN Derenthalen/

HÆREDITARIO in Pergel / &c. &c.

DNNNN. Patronis, Favitoribus, respec-  
tively Adfinibus, Consobrino & Patrueli æstimatis-

simis, omniq; adfinitatis & cognationis cultu ac amore

examuffim prosequendis,

Gratiam & Pacem per JESUM!

**P**resentes mea pagina viam ad Vestr. Magnif. & Amplitud. adfe-  
rant, virtutibus, quibus præditi meritò laudamini, adducta. Obti-  
nebunt eam, si benevolentiam ac favorem: quos tanti æstimabo, quanti  
debeo. Quibus quoque meritò prima subolescentis mee doctrina incuna-  
bula, non cognitus quidem at cognatus, dedico: non auream, quam ego  
hic nullus specto, sed ingeniorum expectans messim, sc. indulgentissimum  
benevolentia vestra adfectum. Hisce

Dabantur Rostochii d. 11. Aprilis

M. DC. LXXVII.

Vestr. Magnif. & Amplit.

Me commendo

mancipatum

STEPHANUS Derenthal/

Respondens.



## DISPUTATIO

ANALYTICO-THEOLOGICA SECUNDA

de Statu, & officio novi hominis

*super*

Caput VII. Epistolæ ad Romanos.



Aperte VI. Epistolæ ad Romanos Apostolus Paulus disserit de *novi hominis Statu, & officio*. Status illius, etsi in conspectu filiorum hujus seculi est vilis, & abjectus; in conspectu tamen Dei, sanctorum Angelorum, & verè credentium est præcellens, & beatus, cum è tristissimo, & luctuosissimo statu filiorum iræ ereptus, & in sortem filiorum Dei traductus non amplius sit sub lege accusante, condemnante, & occidente; sed sub gratia vivificante, & credentem à peccatis absolvente, justumq; pronunciante. Nam virtute meriti Christi fide apprehensi liberatus est à peccati dominio, Deiq; nunc servus factus servitutis suæ fructum habet vitæ sanctimoniam, exitum autem vitam æternam.

Ab eo autem, qui non tantum novus homo vult nuncupari, sed etiam reverà esse, sollicitè requirit *primò, ut in peccato non permaneat, quid igitur dicemus, inquit Cap. VI, i. permanebimus in peccato, ut gratia Dei fiat copiosior? absit.* Nam planè absolum, & incongruum est, novum homi-

AD ROMANOS.

nem esse, & in peccato permanere. In peccato autem permanet, qui non amputat prava membrorum desideria, qui vivit absque legis accusantis, & condemnantis sensu, peccatum ex lege non agnoscit, correptionem fraternam respuit: de admisis peccatis non acerbè dolet, nec verecundatur, quòd ad injuriam virulentâ linguâ, & calamò, fratri inferendam sese, nescio, quò argumentò, & cujus iniquâ persuasione, irritari, & exacerbari perpeffus sit; ei verò, quamvis conscientiaè morsum, & acrem stimulum nonnunquam persentiscat, juxta Christi salutare institutum satisfacere detrectat, dum pœnæ momentaneæ turpitudinem metuens, peccatum notorium, vel præfractè negat, vel ejus atrocitatem astutè occultat, vel miris modis extenuat; absolutionem autem in illo statu petit, urget, & externè duntaxat accipit. Tantùm enim abest, ut ejusmodi frater sit novus homo, ut etiam re, & facto testatum faciat, quòd extra cancellos charitatis Christianæ abreptus in teterrima mentis caligine, & exitialis ignorantiaè tenebris versetur, ac repugnante conscientiaè semetipsum in peccatorum voragine detineat, plenoq; cursu ad exitium properet. Nam ubi non est legis peccatorem accusantis, & condemnantis sensus, ibi peccatum nondum revixit: ubi peccatum nondum revixit, ibi non est agnitio peccati; ubi non est agnitio peccati, ibi non est serius dolor de peccato; ubi non est serius dolor de de peccato, ibi non est fides justificans; ubi non est fides justificans, ibi non est peccati remissio: ubi non est peccati remissio, ibi non est vita & salus, sed mors, & æterna condemnatio.

Qui igitur non vult jacturam facere bonorū coelestium, is peccatorū, & legis accusantis sensu territus, & contritus  
in tem-

CAP. VII.

in tempore gratiæ, dum cum fratre, quem læsit, & offendit, adhuc in via est, peccatum juxta Christi legem Matth. V, 23. 24. agnoscat, neque in illo statu absolutionem indignè petat; Secus facientem læx divina ad supremum tribunal citat, & coram divina majestate accusat, ac condemnat. Nam qvi non credit, jam condemnatus est Joh. III, 18. Qvomodo autem is potest credere, & medicum desiderare, qvi peccatum manifestum non agnoscit, nec confitetur, sed Christianam reconciliationem susq; deq; habet; nam negatâ agnitione peccati, negatur fides justificans, cùm negato antecedente, negetur consequens.

*Secundò, ut non peccet*, neque carnis desideria perficiat, vel ea, qvæ naturæ corruptæ, & ad malum propendenti arrideant. *Quid igitur dicemus*, inquit Apostolus vers. 15. *peccabimus, quòd non simus sub lege, sed sub gratia? absit.* Etsi enim nobis in hujus vitæ curriculo varia objiuntur pietatis obstacula, & via, in qva ambulamus, est valde lubrica, qvippe in qva, Diabolo incitante, & mundo inescante, ad delinqvendum facilè impellimur, dum naturæ inclinatione alius ad hoc, alius ad aliud propendet peccatum; novus tamen homo nō prorumpit in externa scelera, neque frenum laxat carnalibus desideriis, & affectibus, sed opera carnis domat, & mortificat. Nam oblatione corporis Christi Deo reconciliatus, & à peccati dominio liberatus, forte infelici veteris hominis, & pristinæ servitutis, ac miseræ, cui in statu iræ obnoxius fuit, probè perspectâ, perpetuò considerat, qvàm angustâ, planeq; cœlesti vocatione vocatus sit ad cœtum sanctorum, seq; virtute Spiritus Sancti munit adversus insidias, & technas hostis infernalis, ac mundi, peccatiq; blanditias; omnemq; adhibet operam, ut imaginem Christi, cum qvo spirituali

AD ROMANOS.

spirituali ratione est sepultus, & resuscitatus, verbis, & operibus exprimat, peccatiq; impetum debilitet, & infringat. Quare neminem carnali, & præpostero affectu iudicat, neminem calumniâ afficit, neminem lædit, unicuiq; quod suum est tribuit, suoq; se metiri pede, & secum habitare studiosè discit, suasq; actiones, & instituta ad divinæ legis normam exigit, & examinat. Nam novus homo ex DEO natus est, *qui verò ex Deo natus est, ille non peccat* I. Joh. III, 9. Nam qui peccat, ille non habet Deum, neque vitam æternam in se manentem Cap. II, 6. Illius perpetuus comes est mala conscientia, fructus verò turpitudò, & ignominia Rom. VI, 21. Nam tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum, Rom. II, 9.

*Tertiò, ut Deo soli, cui se totum in obsequium addixit, spiritu spontaneo militet, vivat, & serviat in CHRISTO JESU Domino nostro; in fidei, & pietatis tramite inoffenso pede progrediatur, seq; à recta via, & servitute, quâ DEO sinceritate animi servit, & obsequitur, ad devia, & præcipitia mundi illecebris, peccatiq; suggestionibus abripi non patiatur. Nam DEO liberè serviens membra sua præbet arma justitiæ, tempus gratiæ bene collocat, in Dei agnitione, & vera pietate magis magisq; proficit, & ad beatè emigrandum ex hac vita sese enixè componit, inq; huius vitæ curriculo, & certamine verbis, & operibus demonstrat, quòd ex mortuo factus sit vivens, & verus hæres futuræ gloriæ.*

Cap. VII. Capite VII. Apostolus disputationem præcedenti capite inchoatam continuat, & docet, quòd illa novitas, à qua renatus dicitur novus homo, in hac vita non sit perfecta, & absoluta, illudq; abundè probat suo exemplo, sicuti infra docebitur. Initiò autem redit adversum 15. Cap. VI.

*Quid*

CAP. VII.

*Quid igitur dicemus? peccabimus, quòd non simus sub lege, sed sub gratia? vel ad objectionem illam:*

*Christiani fidei iustificati non sunt sub lege,*

*E. Christiani fidei iustificati peccabunt.*

Ad hujus objectionis *Consequens* loco paulò antè citatò respondet, quòd sit absurdum, & Christianos argumentis longè efficacissimis hortatur, ut non peccent, sed intellectum, voluntatem, omnesq; potentias animæ, & corporis exhibeant Deo, & justitiæ. Cum autem nondum responderit ad *Antecedens*, neqve exposuerit, quomodo Christianus fidei iustificatus non sit sub lege, digressione per unam, alteramvè occupationem Cap. VI. factâ, principio Cap. VII. respondet, quòd Christianus fidei iustificatus non sit sub lege dominante, accusante, condemnante, & occidente: illudq; probat sequentibus argumentis.

*Primum Argumentum Apostoli.*

*Christianus fidei iustificatus non est sub lege vivente.*

*E. Christianus fidei iustificatus non est sub lege dominante.*

*Consequens* cognitum erat omnibus fratribus legem scientibus: turpe enim est, fratrem legem scientem ignorare, quòd lex homini dominetur, quamdiu vixerit. sc. lex, quòd proponit vers. i. *An ignoratis, fratres, scientibus legem loquor, quòd lex homini dominetur, quanto tempore vixerit.* V. I.

*Antecedens* probatur sequenti argumento.

*Christianus fidei iustificatus similis est mulieri, cujus maritus est mortuus.*

*E. Christianus fidei iustificatus non est sub lege vivente.*

Antece-

AD ROMANOS.

*Antecedens* probatur, nam quemadmodum mulier, marito mortuô, liberata est ab obedientia, quâ obstricta fuit marito viventi; ita quoque Christianus fide justificatus liberatus est ab obsequio. quo ante conversionem, vel in statu iræ obtemperavit peccato, vel concupiscentiæ originali, nam illius vetus dominus, vetus maritus, veteres mores, vetus vivendi ratio crucifixa, & enervata est, ut non amplius ei serviat, Cap. VI, 6. liberatus enim est à dominio peccati.

*Consequens* probatur, quia mulier, cujus maritus est mortuus, non est sub lege vivente: *Nam mulier, quæ sub viro est, alligata est viventi viro per legem; si autem mortuus fuerit vir, liberata est à lege viri, quod I, proponit vers. 2.* Ubi Apostolus plenus Spiritu denunciatur.

(a) Mulierem viro, quamdiu vixerit, lege matrimoniali obligatam esse, ut ei obtemperet. Nam uxor non est sui juris, sed vi vocis, & legis divinæ Gen. III, 16. sub viri potestate est, & ipse dominabitur illi. Qui igitur mulieri suadet, vel ansam præbet, ut marito suo sese opponat, eiq; quod honestum, & salutare est, suadenti non obsequatur, is non servit in novitate Spiritus, sed in vetustate literæ. Diabolus conjugum animos distrahere nititur, ut communes illorum preces interturbet, aliisq; gravioribus malis viam sternat, latamq; fenestram aperiatur. Verus Christianus, lege, & voluntate divina probè perspectâ, imitatur sanctos Apostolos, & mulieres ad subjectionem debitam studiosè adhortatur. Paulus Coloss. III, 18. illas ita alloquitur: *Uxores subjectæ estote propriis viris, ut convenit in Domino.* Petrus I. Epist. III, 1. *Similiter uxores subjectæ sint suis viris.* Nam mulieris officium est, ut propter ordinationem divinam sese mariti potestati submittat, eumq;

CAP. VII.

umq; colat, & revereatur. Subjectio enim illa ipsi non est probro, sed honori, cum fiat juxta Dei voluntatem. Facit enim eo ipso, quod Spiritus Sanctus serio vult, & mandat, quod lex divina sancit, & ordo in natura constitutus requirit. Imperium igitur in maritum mulieri est turpe, & ignominiosum, cum de jure illi non sit concessum. Quæ igitur mulier sibi vendicat dominium in maritum, illa peccat in Dominum, violat ejus sanctum præceptum, perturbat Dei, & naturæ ordinem, & dum sese extollere cupit, de suo gradu dejicitur, & deturbatur.

(β) *Fidem conjugalem, vel conjugij vinculum durare usque ad finem vita.* Nam mulier alligata est viro viventi lege. Quisquis ergo, ait *Baldwinus*, conjugum vel adulteriò, vel violentiâ, vel insidiis, vel desertione lædithori facium, is perjurii ipso facto reus est, fregit enim fidem Deo, & conjugii coram altari datam, non autem discedet malum de domo pejerantis.

(γ) *Mulierem sanctum conjugij fœdus separatione solventem non esse sub gratia,* quia (1) est sub lege vivente, & dominante. Nam *mulier viventi viro lege divina devincta est*, vers. 2. *Ius, qui matrimonio juncti sunt, denunciatur Dominus, uxor à viro ne discedito.* I. Cor. VII, 10. (2) Non est nova creatura: nam si quis est in Christo Jesu, nova creatura est, II. Cor. V. 17. mulier verò deserens virum non est in Domino, I. Cor. XI, 11. (3) Manet, & vivit in peccato, quia vivit absque legis accusantis sensu. (4) Est sub peccati dominio, quia detinetur à peccato, & non servit in novitate Spiritus; sed in vetustate literæ, id est, absque fide & Spiritu (5) non servit Deo, quia affectus peccatorum in illius membris, in illius intellectu, & voluntate operantur ad fructificandum morti (6) fregit fidem Deo, & marito da-

B

tam

AD ROMANOS.

tam. (7) Est injusta, injustus autem non est sub gratia. Nam injustus non est hæres bonorum cœlestium I. Cor. VI 9. Hisce, & multis aliis rationibus, ac argumentis validissimis mulier, quæ sese separavit à viro, poterat excitari, ut fidei conjugalis memor tandem ab exitiali somno peccatorum resurgeret, quis autem illam sanis rationibus convincet, ut peccatū mortuum in illa revivifcat? quis illam quæret, sicuti Christus supremus animarum pastor, & universæ nostræ salutis autor, & consummator vult quæri ovem perditam? jumentum, quando in foveam cecidit, conjunctis viribus, multoq; sudore inde extrahitur, ut ab interitu manifesto servetur; anima verò, quam tu ô Domine Jesu sanguine tuo pretioso redemisti, eâ securitate, quæ inter Christianos non est audita, in peccati regnantis voragine sine misericordia, & Christianæ charitatis affectu jam ultra novennium relinquitur, adeoque ut vix dici possit, utrum gravius delinquat mulier eo modo sub peccati regimine, & lege accusante securè manens, quam sacerdos vel confessionarius illam juxta Christi institutum

V. 2. sollicitè non quærens, nec debitâ sedulitate laborans, ut legis potentiâ, & sensu territa, & contrita exclamet: Ego sum mortua: quis verò me liberabit à corpore peccato, & morti obnoxio? Nam *sacerdotes uni parcentes, & sacerdotalem severitatem negligentes, universæ Ecclesiæ moliuntur interitum*, Origenes homil. VII. in Josuam. Sed dices: reconciliatione opus est, quanam? an eâ, quæ legi, & voluntati Redemptoris nostri reclamatur absit. Piâ opus est reconciliatione, non impiâ, pia autem esse nequit, quam Christus severè prohibet, & Christiana charitas non admittit.

(2) Probat (α) quòd mulier, quæ sub viro est, alligata

## CAP. VII.

gata sit viro viventi, lege matrimoniali, quia vivente viro à lege illa condemnabitur, & adultera vocabitur, si fuerit alterius viri, quod proponit vers. 3. Proinde vivente viro, *mæcha* vocabitur, si fuerit alterius viri. (β) Qvòd viro mortuo mulier liberata sit à lege viri, quia mortuo viro liberata est sc. à lege accusante, & condemnante, ut non sit adultera, si fiat alterius viri, quod proponit versu eodem: *sin autem mortuus fuerit vir, libera est à lege illa: ut non sit mæcha, si fuerit alterius viri.* Ubi Apostolus docet, quòd secunda vota, vel nuptiæ iteratæ non sint à DEO prohibitæ. Nam jus conjugii durat tantùm usque ad mortem conjugis. Qvamobrem Paulus I. Tim. V, 14. *juniores viduas vult nubere, & filios procreare.*

### Objectio Prima.

*Christianus fide justificatus similis est uxori, cujus maritus est mortuus.*

*E. Christianus fide justificatus liberatus est ab obedientia legis moralis.*

*Consequens* probatur. Nam similium eadem est ratio. Si igitur mulier, viro mortuo, soluta est ab obligatione legis matrimonialis, sequitur Christianum fide justificatũ non ampliùs teneri, vel obstringi, ut legi obtemperet.

Respondet ad *Consequens* negando. Nam Christianus fide justificatus similis est uxori, quæ viro mortuo nupta est alteri viro. Si igitur hæc mulier non est liberata ab obligatione legis matrimonialis; Christiani quoque non erunt soluti ab obedientia legis, quæ obstricti, & devincti sunt novo marito Domino nostro Jesu Christo, quòd probat sequenti argumento:

*Christianis fide justificatis mortificata est lex, vel legis dominatis*

AD ROMANOS.

*dominatio per corpus Christi, ut sint alterius, qui ex mortuis excitatus est.*

*E. Christiani fide justificati à legis obedientia non sunt soluti.*

v. 4. *Antecedens proponit v. 4. Itaque fratres mei, vos quoque mortificati estis legi per corpus Christi sc. in cruce immolatum, ut sitis alterius, qui ex mortuis excitatus est.* Ubi erudimur de spirituali matrimonio Domini nostri Jesu Christi cum fidelibus, & obedientia ipsi præstanda, nobisq; ardentissimæ dilectionis exhibetur documentum, quippe quâ Christus sibi eligere voluit sponsam, cujus prior maritus fuit ἀνεξαρτία, impuritas, ἀνομία ἐς ἀνομίαν, aberratio ad aberrationem, eamq; sistere gloriosam, atqve bonorum cœlestium consortem, & sociam.

*Consequens probatur.* Nam conjugii hujus ineffabilis finis est, ut legi obtemperemus, ac fructificemus Deo operibus bonis, & vitæ sanctimoniâ, quod proponit versu eodem: *ut fructum feramus Deo*, ubi nobis exhibetur legis moralis in Ecclesia usus διδασκαλίας. Nam legis dominatione, & condemnatione sublatâ per corporis Christi oblationem, manet obligatio legis ab obedientiam, quâ Christianus in statu gratiæ non coactè, sed motu spontaneo legi obsequitur, sicuti ante conversionem liberè obtemperavit peccato, & perpetuò recordatur immensæ bonitatis, & inexhaustæ misericordiæ Dei erga nos misereos peccatores, nam Deus propterea fecit redemptionem; *ut sine metu, è manu inimicorum nostrorum liberati, serviremus ipsi, cum sanctitate & justitia in ipsius conspectu, cunctos dies vitæ nostræ* Luc. I. v. 74. *Christus dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, studiosum bonorum operum.* Tit. II. 14. Si igitur à muliere requiritur, ut marito vi-

venti

CAP. VII.

venti obtemperet cum omni subjectione; multò magis officium novi hominis postulabit, ut novo marito Domino nostro Jesu Christo, qui est prima & suprema omnis salutis nostræ causa, piè obsequatur, & non amplius veteri marito serviendo in tenebris ambulet. *Nam si dixerimus quòd societatem habeamus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritas non est in nobis, I. Joh. I. 6.* Societate igitur cum Christo non habet, qui in externa carnis opera prolapsus, ex morte, & exitiali peccatorum somno nondum resurrexit; sed qui ex filio tenebrarum factus est filius lucis, & lux in Domino, Eph. V, 8. peccatiq; impetum virtute Spiritus Sancti infringit, & carnem cum affectibus ejus crucifigit, & mortificat.

*Secundum Argumentum Apostoli.*

*In Christianorum fide justificatorum membris affectus peccatorum, vel concupiscentiæ originalis motus, & suggestiones non operantur ad fructum ferendum morti.*

*E. Christiani fide justificati non sunt sub lege dominante.*

*Antecedens probatur: nam affectus peccatorum, qui per legem cognoscuntur, operantur, & dominantur in illorum membris, qui sunt in carne, qui Deo adversa sapiunt, & feruntur in effusam carnis licentiam, ejusq; desideria perficiunt; Christiani autem fide justificati non sunt in carne: nam Paulus Apostolus, & omnes Christiani ad Christum verè conversi exclamant: *cùm essemus in carne, cùm nondum essemus desponsati novo marito Domino nostro Jesu Christo, affectus peccatorum, qui per legem scil. cognoscuntur, operabantur in nostris membris ad fructum ferendum morti, quod proponit vers. 5. Ecce! Paulus Apostolus, fidelis Domini nostri Jesu Christi servus, & omnes Christiani ex Judæis, & gentibus verè conversi a-**

v. 5.

AD ROMANOS.

perto ore fatentur, se fuisse in carne, & timore Dei, ac fide in Christum vacuos frena laxasse concupiscentiæ prævæ. Cur igitur tu Deo, & Domino nostro Jesu Christo non vis dare gloriam, & sincero pectore confiteri, te esse in carne, vel secundum carnem ambulare, in luctuosissimæ mortis via, & incitamentis pravis obtemperare, plenæque vi erumpere in externa scelera. Nam affectus peccatorum manifesti, vel vitiosi concupiscentiæ originalis motus in tuis membris, in tuo intellectu, voluntate, appetitu, omniq; sensu externo & interno, atqve viribus corporis operantur, & dominantur ad mortem. Turpe est Christianum dici, & gloriari, Christo Ecclesiæ sponso desponsatum esse; peccato verò, vel veteri domino cum delectatione obtemperare. Vir bonus non colit amicitiam, nec fœdus init cum eo, quem videt palàm injustum, & improbum esse, vel ex professo iniquitati dare operam; quomodo igitur Christus Dominus noster potest esse tuus amicus, tuus fœderatus, tuus sponsus, & maritus, qui probus, & justus esse nolis, opera carnis perficis, & divinas leges insuper habes. Aliud autem est in carne esse, vel secundum carnem vivere, & in carne vivere, & manere. Sicut patet ex II. Cor. X, 3. & Phil. I, 22. 24.

*Consequens probatur.* Nam ubi non dominatur peccatum, ibi quoque non potest dominari lex, nam lex hominem in vetustate literæ servientem terret, accusat, condemnat, & occidit, non verò Deo servientem in Christo per pia, & sancta obsequia. Nam qui Spiritu ducuntur, illi non sunt sub lege sc. condemnante, quia adversus eos non est lex, Gal. V, 18. 23. *Lex justo non est posita, sed legis contemptoribus, & iis qui subjici nesciunt: impiis & peccatoribus, &c.* I. Tim. I, 9. ut legis frenò contineantur in externo obsequio

CAP. VII.

obsequio, ne turbetur vitæ humanæ societas, atque tranquillitas, De ejusmodi usu politico Lutherus in Commentario super Epist. ad Galatas Cap. III. *Primus intellectus seu usus legis est, coercere impios. Diabolus enim regnat in toto orbe terrarum, & impellit homines ad omnis generis flagitia. Ideo ordinavit Deus Magistratus, Parentes, Præceptores, leges, vincula, & omnes ordinationes civiles, ut si non possint amplius efficere, revinciant saltem Diabolo manus, ne pro libidine sua ita se viat in suis. Sicut ergo hominibus obsessis, in quibus Diabolus potenter regnat, vincula & catena injiciuntur, ne quem ledant, sic toti mundo, qui est obsessus à Diabolo, & præceptus fertur in omnia scelera, adest magistratus suis vinculis, & catenis, hoc est, legibus cohibens manus & pedes, ne præceptus ruat in omnis generis flagitia.*

*Tertium Argumentum Apostoli*

*Christiani in statu renovationis, vel gratiæ liberati sunt à lege sc. accusante, & condemnante.*

*B. Christiani in statu renovationis, vel gratiæ non sunt sub lege dominante.*

*Antecedens probatur. Nam Paulus Apostolus, & omnes Christiani ad Deum verè conversi dicunt: in statu veteris hominis, in statu iræ, vel ante conversionem eramus sub lege sc. accusante & condemnante; eramus sub ignobili jugo servitutis peccati, quia non eramus mortui peccato, vel ei Domino, & marito, qui nos detinebat suis pravis suggestionibus, & deceptionibus, ut non serviremus in novitate Spiritus, vel novis & spiritualibus qualitatibus, sed in vetustate literæ, vel qualitatibus veteris hominis. Nunc autem, id est, post conversionem in statu gratiæ liberati sumus à lege scil. dominante, & occidente, quia mortui sumus ei*  
domi-

AD ROMANOS.

v. 6. domino, & marito, per quē detinebamur: mortui sumus peccato originali, ut nunc serviamus in novitate Spiritus, & non in vetustate literæ, quod proponit vers. 6. *Nunc autem liberati sumus à lege, quia mortui sumus ei, in quo detinebamur, ut serviamus in novitate Spiritus, non verò in vetustate literæ.* Ubi per novitatem Spiritus intelligitur conditio, vel qualitas Christiani sub secundo marito Domino nostro Jesu Christo. Dicitur autem novitas, quia est novi hominis, in quo per Spiritum Sanctum novi motus, & desideria excitantur, quibus inchoamus Deo, & justitiæ præbere membra nostra, atque Christo novo omnium credentium marito, ac Domino obsequi cum delectatione. Nam Spiritus Sanctus per verbum illuminat intellectum, & reformat voluntatem nostram, ut intelligamus, quid fieri oporteat, & Spiritu incedentes, crucifigamus carnem cum affectibus, & concupiscentiis. Per vetustatem literæ intelligitur conditio, vel qualitas hominis ante conversionem sub priori marito & domino, vel peccato originali. Dicitur vetustas, quia est veteris hominis, & prior novitate spirituali. Per literam intelligitur lex considerata ratione veteris hominis, in quo peccatum regnat, & dominatur. Nam apud hunc lex divina est quasi muta, & litera mortua respectu obedientiæ, Deo præstandæ, vivit enim sine sensu legis accusantis, & condemnantis, & peccato securè indulget.

Objectio Secunda.

*Lex hominem in vetustate literæ servientem occidit.*

*E. Lex est peccatum.*

v. 7. *Antecedens est Apostoli. Consequens 1. proponit figuratè vers. 7. Quid igitur dicemus? an dicemus, lex est peccatum? 2. Probat, quia hominem spiritualiter occidere*

CAP. VII.

dere, & à Deo separare, est proprium peccati. Si igitur legi competit peccati proprium, sequitur, legem esse peccatum. Nam cui competit proprium, ei competit id, cuius est proprium.

Respondet Apostolus ad *Consequens* negando. Nam absurdum, & impossibile est, legem esse peccatum, quod 1. proponit versu eodem. *Absit* sc. legem peccatum esse. 2. Probat sequenti argumento:

*Per legem peccatum cognoscitur.*

*Ergò lex non est peccatum.*

*Consequens* probatur. Nam si lex peccatum esset, per legem peccatum non cognosceretur (aliud enim est lex, & aliud est, quod ex lege cognoscitur) Paulus verò non nisi per legem peccatum sc. originale cognovit, quod 1. proponit versu eodem ubi Apostolus occasionem sumit differendi, de naturæ humanæ corruptione, & usu legis: Non concupisces. 2. Probat sequenti argumento:

*Paulus non novit concupiscentiam sc. esse peccatum, nisi lex dixisset: non concupisces.*

*Ergò Paulus non novit peccatum nisi per legem.*

*Antecedens* 1. proponit versu eodem: *nam concupiscentiam non novit* sc. peccatum esse, *nisi lex dixisset, non concupisces.* Ubi Apostolus explanat, quòd non detur aliud principium, è quo cognoscitur, quòd concupiscentia originalis, & proclivitas involuntaria ad malum, ac habitualiter inhærens, sit peccatum propriè dictum, quàm lex illa divina; Non concupisces. Nisi enim lex dixisset; Non concupisces, Apostolus ignorasset, quòd concupiscentia ex se, & sua natura sit peccatum, & lege divinâ prohibita. Per concupiscentiam igitur hoc loco non intelligitur actum voluntarium externum concupiscendi. Nam concupi-

C

scientiam

AD ROMANOS.

scientiam illam hic lege divinâ prohiberi dicit, quam non potuit aliunde, quam ex lege illa: Non concupisces; cognoscere, & pro peccato habere. Quod verò voluntarius concupiscendi actus, vel concupiscentia inordinata actualis, & voluntaria, quæ peculiaribus præceptis prohibetur, sit peccatum, vel ipsi gentiles ex lege sibi insita agnoverunt sine legis scriptæ collustratione, sicuti Paulus illud Rom. II, 14. 15. declarat. Per concupiscentiam igitur hoc loco intelligitur vitium inhærens, vel habitus vitiosus non usu, & consuetudine acquisitus, sed ab Adamo naturaliter descendentibus innatus, vel peccatum inhabitans, peccatum ex primo ortum, quod etiam renatus in se invenit, & (quamvis liberatus sit ab illius reatu, & domino) è numero peccatorum non eximit, si vel maximè non accedat consensus, sive delectatio: quia Dei aternæ voluntati adversatur, & lege morali est prohibita, ac mortem ex sese meretur aternam, nam *maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scriptæ sunt in libro legis*, Gal. III, 10. In libro autem legis scriptum est, ut homo non habeat concupiscentiam pravam. Quare ex legis divinæ sententia concupiscentia originalis est peccatum propriè dictum.

2. Probat: nam si aliud principium esset, è quo cognosceretur, quod concupiscentia sit peccatum; in homine peccatum, quando occasionem accipit, per mandatum illud, non concupisces; non operaretur omnem concupiscentiam, vel omnis generis cupiditates pravas, & vitiosas inclinationes; in Paulo autem peccatum, occasione acceptâ per mandatum, operatum est omnem concupiscentiam, quod i. proponit vers. 8. *Sed occasione accepta peccatum per mandatum effecit in me omnem concupiscentiam*

CAP. VII.

*concupiscentiam.* Ubi per omnem concupiscentiam in hac enunciatione: peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam, intelligitur omnis motus inordinatus, vel suggestio prava, quæ ex vitioso, & innato habitu provenit, & cui renatus virtute Spiritus Sancti reluctatur, ne pertrahatur ad peccati impurum obsequium. Distinguendum igitur hoc loco est inter peccati originalis operationem, & peccati operantis manifestationem. Nam Apostolus hic loquitur de peccati omnis generis concupiscentias pravæ operantis manifestatione. Ante legis accusantis sensum, peccatum quidem operatur in homine omnem concupiscentiam; homo verò non percipit, se decipi à peccato, & reatu constringi per legem: *non concupisces*, quæ mandatur, ne quis impurus appetitus animum nostrum incitet, & impellat; veniente autem legis accusantis sensu, homo tristissimâ voce exclamat: Peccatum in me operatur omnem concupiscentiam, omnem cupiditatem pravam, omnem inordinatam flammam. Quamvis enim concupiscentiâ proximus actu non lædatur, Dei tamen, qui dixit, non concupisces; voluntati repugnat. Si igitur quæritur (1) unde sit omnis cogitatio prava, vel omnis cupiditas mala, quam in se invenit homo, respondet Apostolus: peccatum, id est, vitiosus habitus mihi innatus operatur in me omnem concupiscentiam. Si quæritur (2) unde cognoscatur, quòd peccatum operetur in homine omnem concupiscentiam, respondet Apostolus: peccatum occasione acceptâ per legem sc. Non concupisces, operatur in me omnem concupiscentiam, quod probat sequenti argumento.

*Peccatum est mortuum absque lege, vel legis accusantis sensu.*

AD ROMANOS.

*Ergò peccatum in Paulo, quando occasionem accepit per  
mandatum sc. accusans, condemnans, & occidens  
operatum est omnem concupiscentiam.*

*Antecedens* 1. proponit vers. 8. *Nam sine lege peccatum est  
mortuum.* Ubi peccatum dicitur mortuum & dormire,  
non simpliciter, sed respectu hominis securi, & impœni-  
tentis, qui non perpendit, quemnam hostem in sinu gerat,  
& secum circumferat, neque sentit, quod propter pecca-  
tum originale à lege illa: Non concupisces, in iudicio  
divino accusetur, & condemnetur.

2. Probat, nam si peccatum non esset mortuum abs-  
que lege, homo aliquando non viveret absque lege, vel  
legis peccatum accusantis sensu; Paulus autem aliquan-  
do absque lege vivebat, quod (1) proponit vers. 9. *Ego  
autem aliquando sine lege vivebam.* Ubi Apostolus suo e-  
xemplo docet, hominem aliquando non sentire, neque  
agnoscere, quod accusetur à lege illa: Non concupisces.  
Quemadmodum enim corporaliter mortuus non videt,  
nec audit, sed vitæ sensus, motus, & intelligentiæ est ex-  
pers; ita quoque homo à peccato occisus sine legis, vel  
comminationum divinarum sensu, non sentit veros ter-  
rores conscientiæ, Deumque peccato succensere, sequi; pro-  
pter peccatum obnoxium esse iræ Dei, & æternæ conde-  
mnationi; sed spirituali cœcitati immersus juxta com-  
munem impiorum hominum consuetudinem in via spa-  
tiosissima securè ambulat, & in concupiscentiis carnis re-  
gnantis permanens ad interitum decurrit manifestum.

2. probat. Nam si homo aliquando non viveret abs-  
que legis: Non concupisces; sensu, peccatum originale,  
quando venit mandatum, vel mandati illius sensus, & po-  
tentia

CAP. VII.

tentia non revivisceret; peccatum autem veniente mandato in Paulo revixit, quod (1) proponit vers. 9. Veniente autem mandato peccatum revixit. (2) probat. Nam si peccatum veniente mandato non revivisceret, homo legis ministerio, & sensu non moreretur, non fateretur, se propter peccatum originale esse reum mortis. Paulus autem mortuus est, quod 1. proponit, v. eodem *Ego autem mortuus sum.* Ubi Apostolus aperte fatetur, quod legem implere nequeat, (*tunc enim, ait Aug. super hunc locum, se mortuum quisque cognoscit, cum illud, quod recte preceptum esse confitetur, implere non potest*) suoque exemplo docet, quomodo peccator per legem præparetur, atque disponatur, ut per Evangelium ad Christum vitæ autorem confugiat, & in ipso salutem quærat. Nam, peccato nondum cognito, medicina non curatur. Contritos verò corde Christus per Evangelium sanat, & captivis, vel captivitatem spirituales agnoscentibus prædicat remissionem, Esa. LXI, 1. Luc. IV. 18. Oneratos reficit, Matth. XI, 27. Qui igitur in tempore gratiæ legis ministerio non moritur, sed se vivere arbitratur, in illo peccatum non reviviscit: In quo peccatum non reviviscit, ille vivit sine legis peccatum accusantis sensu: Qui vivit sine legis peccatum accusantis sensu, in illo peccatum est mortuum: In quo peccatum est mortuum, in illo regnat, dominatur, & operatur omnè concupiscentiam sine lucta, & resistentia Spiritus. Piorum autem vita est perpetua mortificatio, & poenitentia, siquidem in renatis multum adhuc superest, quod à lege potest reprehendi. 2. Probat sequenti argumento.

*Paulo mandatum, quod ordinatum est ad vitam, inventum est ad mortem.*

*Ergo Paulus est mortuus.*

AD ROMANOS.

*Antecedens* I. proponit versu eodem. *Et in ventum mihi est mandatum, quod ordinatum erat ad vitam, esse ad mortem.* Ubi Apostolus docet, quòd lex: *Non concupisces*, per se vivificet, quia ordinata est ad vitam; per accidens verò occidat, quia Paulo inventa est propter peccatum ad mortem. Sicut igitur perfectè obedientibus lex pollicetur vitam, ita prævaricantibus mors est peccati stipendium, Rom. VI. v. ult. Nam *qui in uno offenderit, factus est omnium reus*, Jac. II, 10. quia omnia Dei præcepta in charitate perfecta sunt connexa. *In multis autem impingimus omnes*, Jac. III, 2.

2. Probat sequenti argumento.

*Paulum peccatum occasione acceptâ per præceptum decepit, & per illud sc. cognitum occidit.*

*Ergò Paulo mandatum, quod est ad vitam, fuit ad mortem.*

V. II.

*Antecedens* proponit vers. II. Nam peccatum occasione acceptâ per legem decepit me, & per illam occidit. Ubi Apostolus suo exemplo docet, quòd peccatum originale (1) hominem decipiat, quia cupiditates pravæ dulcedine, & bonitate apparente vestit, & à recta via fraudulenter abducit: intellectui exhibet rem malam sub ratione boni, amarum & mortiferum sub ratione jucundi: voluntatem ad vitiosa desideria inescat, & provocat, ut consentiat in rem malam sub specie boni oblatam. (2) hominem deceptum, occasione acceptâ per legem, occidat. Distinguendum igitur hîc est inter ipsam deceptionem, & deceptionis manifestationem, deceptio est à peccato, manifestatio verò deceptionis fit per legem: *Non concupisces*, quæ viam vitæ, & mortis monstrat sub conditione obedientiæ perfectæ, & prævaricationis.

Quibus

CAP. VII.

Quibus propositis, Apostolus ita concludit: Ergò lex ipsa: Non concupisces, qvidem sancta est, & mandatum sanctum, ac justum, & bonum; peccatum autem non est sanctum, non justum, non bonum. Absurdum igitur, & impossibile est, legem esse peccatum, quod proponit v. 12. *Ergò lex ipsa quidem sancta, & mandatum illud sanctum, ac justum & bonum.* Sancta est lex: Non concupisces, quia sancta præcipit, & hominem revocat à pravis cupiditatibus ad bonas & pias inclinationes, estq; justitiæ, & sanctitatis regula, quæ cum Dei voluntate consentit, & vult, ut simus sancti, quia Deus sanctus est. Levit. 19, 2. & perfecti, quia pater noster, qui in cælis est, perfectus est Mat. V, 48. v. 12.

Objectio Tertia.

*Paulo lex: Non concupisces, fuit ad mortem.*

*E. Paulo, quod bonum est, fuit ad mortem.*

*Antecedens est Apostoli. Consequens probatur, quia lex illa est sancta, justa, & bona.*

Respondet Apostolus ad *Consequens* per Rejectionem: Absurdum enim est, Paulo fuisse ad mortem, quod est bonum, quod (1) proponit vers. 13. *Absit* (2) probat, quia lex non operata est Paulo mortem, sed peccatum per bonum, vel legem illā: Non concupisces, vel illius legis occasione Paulum occidit, quod (1) proponit versu eodem. Ubi Paulus docet, quòd lex ex accidente, vel hominis vitio occidat, dum mortem, & maledictionem peccatoribus denunciat. Nam per se lex perfectè observata ex Dei instituto ad vitam ducit. (2) Probat, quia finis illius mortificationis, quæ lex: Non concupisces, hominem propter peccatum Originale in tempore gratiæ occidit, est, ut peccatum illud manifestetur, quantumq; illud malum sit, appareat, v. 13.

## AD ROMANOS.

pareat, & fiat supra modum peccans per præceptum: Non concupisces, quod proponit versu eodem. *Sed peccatum, ut manifestetur peccatum per bonum mihi operatum est mortem ut fieret summè peccans per illud mandatum.* Ubi Apostolus docet, quòd finis mortificationis, quæ fit per legem, sit bonus, lex enim subintroiit, & promulgata est, ut peccatum latens, & absconditum appareat, abundet, atque verè agnoscatur, quòd natura humana per peccatum Originale extremè corrupta sit, & rapidissimò cursu feratur ad malum, nisi Spiritus Sancti gratiâ, & operatione ejus impetus frangatur, & debilitetur. Nam humana ratio externos duntaxat excessus, & defectus accusat, & reprehendit; lex verò, non concupisces; motus animi internos inordinatos, & cupiditates impuras, quas ratio humana pro peccatis non agnoscit, monstrat, prohibet, & condemnat, ut omne os obturetur, & unusquisq; sese coram DEO humiliet, ægritudineq; Spirituali agnita, medicinam non quærat in lege, sed in Evangelii gratuita promissione, quo respectu *lex Pædagogus ad Christum vocatur Gal. III, vers. 24.*

V. 24.

### Objectio Quarta.

*Paulo lex: Non concupisces, ante conversionem fuit ad mortem.*

*Ergò Paulo lex: Non concupisces, post conversionem est ad vitam.*

*Consequens probatur, quia Paulus post conversionem servit in novitate Spiritus, vivit Deo, præbet membra sua arma justitiæ &c.*

*Respondet Apostolus per inversionem:*

*Paulo lex: Non concupisces, ante conversionem fuit ad mortem.*

*Ergò*

CAP. VII.

*Ergo Paulo lex: non concupisces, post conversionem non est ad vitam.*

*Consequens probat sequenti argumento:*

*Lex: Non concupisces, est spiritualis.*

*Ergò lex: Non concupisces, Paulo post conversionem non est ad vitam.*

*Antecedens probatur testimoniò Pauli, & Christianorum fide justicatorum, illi omnes uno ore dicunt: Scimus enim, legem esse spiritualem, quod proponit v. 14. Ubi Apostolus docet, quòd credentes sciant legem: Non concupisces, spiritualia, vel motus spirituales cum lege exactè convenientes præcipere, & integram conformitatem naturæ cum voluntate Dei efflagitare; concupiscentiam verò nobis insitam, ejusq; motus inordinatos omnes prohibere.*

v. 14.

*Consequens probatur: nam qui non est carnalis, vel nullum peccatum habet, qualis fuit Adamus in statu integritatis, illi lex est ad vitam, illum lex in judicio Dei justificat; Paulus autem est carnalis, Paulus in statu novi hominis peccatum habet, quod (1) proponit vers. eod. Ego autem sum carnalis. Ubi Apostolus non dicit, quòd in statu gratiæ sit carnalis per peccatum regnans, sicuti illi, qui peccato cum delectatione serviunt, & concupiscentiam pravã non compefcunt; (nam hoc modo carnalis fuit in statu veteris hominis, quando fuit sub peccati dominio,) sed fatetur, quòd post conversionem per peccatum non regnans adhuc multis infirmitatibus sit obnoxius, & carnis, vel peccati originalis stimulos, suggestiones pravæ, & motus, sive desideria in lege: Non concupisces, prohibita, sentiat. Nam renato in hac vita multi adhærent navi. Justus septies in die cadit. Et si enim*

D

enim

AD ROMANOS.

enim sibi proponit, quòd Deo velit obsequi; obedientia tamen illius est languida, & imperfecta, multisq; sordibus coinquinata. Qui igitur carnalis dicitur à peccato regnante ante conversionem, ille post conversionem in statu gratiæ carnalis appellatur à peccato non regnante, ejusq; motibus pravis, quibus renatus reluctatur per luctam carnis, & Spiritus. Absit igitur, ut descendamus in Pontificiorum sententiam, qui statuunt, hominem in judicio divino justificari per justitiam habitualem, vel infusam. Nam sicuti Paulus post conversionem in statu gratiæ exclamat: Ego sum carnalis, & propterea nullam in se justitiam invenit in judicio Dei valentem; ita quoque omnis renatus sese in Paulo tanquam in speculo contemplans in se invenit peccatum, cum quo justitia inhærens, quæ in conspectu Dei hominē justificet, consistere nequit. Nam carnalem esse, & justitiam inhærentem habere, quæ homo formaliter, & subjectivè apud Deum justificetur, sunt pugnancia.

2. Probat sequenti argumento.

*Paulus venditus est sub peccatum.*

*Ergò Paulus est carnalis.*

*Antecedens* I. proponit versu eodem *venditus sub peccatum*. Ubi Apostolus dicitur venditus per metaphoram desumptam à captivis, qui venduntur. Vendens est Adamus: emens est peccatum originale, vel peccatum ex primo ortum. Sub hoc per *πίναξ βουον*, vel transgressionem Adami, vel peccatum primum, quòd dicitur originans ipse Adamus, & totum genus humanum est venditum. Huic domino volentes serviunt, & obsequuntur omnes, qui non sunt in Christo Jesu, sed secundum carnem ambulant, & luctam spiritualem nihili æstimant. Stipendium,  
quod

CAP. VII.

quod hic dominus solvit suis servis est ignominia, mors, & æterna condemnatio. Nam stipendium peccati mors est. Rom. 6. vers. ult.

2. probat ex effectu seqv. Argumento.

*Paulus operatur, quod non cognoscit, & agit, quod non vult, sed quod odit, illud facit.*

E. Paulus est venundatus sub peccatum.

Consequens probatur. Nam qui facit, quod non probat, & ad illa trahitur, à quibus abhorret, ille non est sui juris, sed alterius instinctu, & motu impellitur, atque similis est vendito.

*Antecedens* proponit v. 15. *Quod enim operor, non cognosco: Nam quod volo, illud non ago; sed, quod odi, illud facio,* ubi Apostolus non loquitur de externis, & voluntariis delictis, sed de internis motibus peccati, qui intellectum, quatenus est renovatus, præveniunt, & suo exemplo docet, quod renatus carnis vitiositate operetur, quod non vult Spiritu, vel secundum voluntatem Spiritu Dei renovatam. Nam peccati cupiditates pravæ in hujus vitæ curriculum non ita exui, & deponi possunt, ut simul actu, & reatu transeant, ac radicitus evellantur, siquidem concupiscentia habitualis tam profundas radices egit in homine, ut in hac vita cum suis pravis suggestionibus extirpari nequeat. Hinc perpetua lucta voluntatis renovatæ, & carnis in illa residuæ. Nam idem Apostolus hoc loco est principium *Quod volendi, & non volendi, faciendi, & non faciendi:* Verùm ob duplex principium *Quo,* putà carnem, & Spiritum duplicem quasi personam in seipso sustinet, ut, quatenus est carnalis, & peccator, velit, & operetur malum, à quo abhorret, quatenus est spiritualis, & regeneratus. Nam Spiritus improbat omnem concupiscentiam

v. 15.

## AD ROMANOS.

pravam, & peccati suggestionibus renititur. Verba autem illa operor, ago, & facio, hoc loco non referuntur ad externa delicta, sed ad affectus, vel motus peccati internos, quibus suborientibus, voluntas quatenus, est renovata, ejusque piæ propensiones, vel inclinationes sese opponunt.

### Objectio Quinta.

*Lex, non concupisces, Paulo post conversionem non est ad vitam.*

*E. Lex, non concupisces, non est bona, non est utilis.*

Resp. Apostolus ad *Consequens* negando. Nam si lex illa non esset bona, & utilis, Paulus ipsi non consentiret, quod bona sit: *Si vero, quod non vult* quia legi illi adversatur, *facit, consentit legi, quod bona sit.* Quod proponit v. 16. ubi Apostolus suo exemplo docet, quod lex: Non concupisces, suum quoque usum habeat in renatis, etiam si illos non justificat, quia per illam monstratur, quam longè adhuc absint ab exquisita illa perfectione, quam Deus à nobis requirit, & retrahuntur ab impuris cogitationibus, & flammis inordinatis, cum enim renatus ex parte adhuc carnalis sit, ipse quoque freno legis indiget, ut caro cum suis concupiscentiis dometur, ne in externa scelera prorumpat, & Spiritum sessorem excutiat.

### Objectio Sexta.

*Paulus est carnalis.*

*E. Paulus non est novus homo, vel nova creatura.*

*Consequens* probatur. Nam novus homo est spiritualis, carnalem autem esse, & spirituales esse, sunt pugnantia.

Resp. ad *Consequens* negando. Nam in statu iræ vel ante

CAP. VII.

ante conversionem Paulus fuit carnalis, & egit malum quod voluit, & fecit malum, quod non odio habuit; Nunc autem, id est in statu gratiæ ipse non amplius illud operatur, sed peccatum, quod in illo habitat, quod proponit v. 17. *Nunc autem non amplius ego operor illud, sed peccatum, quod in me habitat.* Ubi Apostolus non docet, quod concupiscentia originalis in homine iustificato non sit peccatum propriè, & formaliter dictum, neque simpliciter negat, quod concupiscentiæ motus sint suum opus. Nam v. 19. expresse ait, *malum, quod non volo, illud facio.* Sed exponit, quod non eò modò sit carnalis, quò fuit ante conversionem. Nam in statu corruptionis à Christo fuit alienus, atque concupivit, quæ carni sunt grata, sine lucta carnis & Spiritus, malumq; egit cum delectatione: In statu autem gratiæ Christo est insertus, atque inclinationes, & suggestiones pravæ cum tædio sentit, & dolet, quod peccati scaturigo non ita possit occludi, ut ex eo nulli rivuli nocentes, nullæ vitiosæ cogitationes, nulliq; motus pravi profluant. *Nam caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem, ut non faciamus, quodcumq; volumus* Gal. V, 17. Licet igitur sint differentiæ, & gradus peccatorum, nullum tamen tam leve est, quod non sit à viciâ, id est, prævaricatio legis divinæ, & ex sese, vel suâ naturâ morte non sit dignum, quia mors absque discrimine peccati stipendium dicitur Rom. VI. vers. ult. De otioso verbo Deus rationem exiget à non renatis in extremo iudicio Matth. XII, 36. Veninale igitur peccatum dicitur non ex se, & suâ naturâ; (Nam hoc modo nullum peccatum est veniale;) sed quia ex Dei gratia, & misericordia in Christum verè credenti ipso actu non imputatur ad mortem. Mortale autem peccatum est, quia non tantum ex se æternâ

AD ROMANOS.

morte dignum est, sed etiam actu ad mortem imputatur.

Objectio Septima.

*In Paulo post conversionem habitat bonum.*

*E. In Paulo post conversionem non habitat peccatum.*

*Antecedens* probatur. Nam in Paulo post conversionem est charitas, quâ Deum, & proximum diligit, est justitia &c.

*Consequens* probatur, quia peccatum est malum morale; malum autem morale, & bonum morale, sunt pugnantia.

Resp. ad *Consequens* Negando. Nam Paulus post conversionem dupliciter consideratur (1) quatenus est spiritualis, & inchoatè renovatus, (2) quatenus adhuc est carnalis, & peccatum habet. Priori modo in Paulo habitat bonum, non autem in illa perfectione, ut formaliter ipsum in conspectu Dei justificet, & omne peccatum excludat, nullumvè peccatum propriè dictum cum eo consistere possit. Hoc modo in nullo renato bonum habitat. *Nam bonum, quod volo, inquit Sanctus Apostolus, non facio; malum autem, quod non volo, illud operor.* Posteriori modo in Paulo bonum non habitat, nam eo modo in ipso habitat peccatum. Quod (1) proponit v. 18. *Novi enim, quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, vel quatenus ego carnalis sum, bonum.* Ubi Apostolus non absque emphasi dicit: *Novi*, videbat enim, paucos hoc scire velle, atque utinam omnes hoc rectè perpenderent. Verba autem illa *in me* non corrigit, sed declarat. Nam caro hoc loco non accipitur tantum pro altera parte hominis, quæ vires animæ inferiores complectitur, sed pro toto homine cum

v. 18.

CAP. VII.

ne cum omnibus potentiis animi, & corporis, quatenus per peccatum sunt corruptæ, & Spiritu nondum renovatæ, quia totus homo, quatenus adhuc carnalis est, peccato servit. Nam carne, inquit ipse Apostolus, id est, quatenus adhuc carnalis sum, servio legi peccati, vel ipsi peccato originali. Carni tribuitur *φέννη* Rom. VIII, 7. totusq; homo dicitur caro Joh. III, 6. & hæreses Gal. V, 20. referuntur inter opera carnis, ipsiq; Corinthii dicuntur carnales ob lites, contentiones, & dissidia, I. Cor. III, 3. Totus itaq; homo per renovationem peccato moritur, & cum Christo resurgit Rom. VI. Renovatio autem illa, cum in hac vita non sit perfecta, pii perpetuò illius dicti sunt memores: *Renovamini Spiritu mentis vestra* Eph. IV, 23. ut non terrestria, sed ea, quæ sursum sunt, sapiant.

2. Probat ex effectu sequentibus Argumentis.

*Primum Argumentum Apostoli.*

*Paulo adjacet velle, sc. bonum, ut autem perficiat bonum non reperit.*

*E. in Paulo, hoc est in carne Pauli non habitat bonum.*

*Antecedens* I. proponit vers. eodem. *Nam velle adjacet mihi, verum perficere bonum non invenio.* Ubi Apostolus loquitur de voluntate, quam habet ex gratia renovationis per Spiritum Sanctum, & suo exemplo docet, quòd voluntas novi hominis quidem prompta sit ad obtemperandum Deo, & legi divinæ: Non concupisces, perficendi verò facultate destituatur. Nam ex una parte renatus impellitur, & urgetur stimulis Spiritus, ut bonum velit; ex altera verò parte malum ipsi adjacet, quo bona voluntas, & pia propensio impeditur. *Tunc enim, uti Augustinus ait lib. I. de Nuptiis cap. 29. perficitur bonum, quando deside-*

## AD ROMANOS.

*desideria mala nulla sunt.* Et paulò pòst: *Multum enim boni facit, qui facit, quod scriptum est: Post concupiscentias suas non eas; sed non perficit, quia non implet, quod scriptum est; Non concupisces.* Quamobrem nemo bona opera perfectè bona præstare, Deiq; legem perfectè servare potest: Nam in militia adhuc sumus constituti, omniq; certamine nondum defuncti, neqve naturam integram, qvalis à DEO est condita, neqve possibilitatem non peccandi, post lapsum habemus, neqve in hujus vitæ infirmitate ita operamur, ut progredi ulterius vel non possimus, vel non debeamus, siquidem ad perfectionis supremum fastigium in hac vita non ascendimus.

2. Probat ex effectu. Nam Paulus non quod vult sc. voluntate renovatâ, facit bonum, sed quod non vult malum, v. 19. *illud operatur. Quod proponit v. 19. Non enim, quod volo facio bonum, sed malum, quod non volo, illud operor.* Ubi per bonum intelligitur, quod à lege præcipitur, per malum verò, quod lege prohibetur. Quamobrem opera renatorum tanti esse nequeunt, ut per illa in conspectu Dei justificentur justitiâ actuali, & vitam æternam mereantur.

## Objectio Octava.

*Paulus operatur malum.*

*E. Paulus non est novus homo, non est nova creatura.*

*Antecedens est Apostoli.* Consequens probatur, quia novus homo similis est arbori bonæ. Sicuti igitur bona arbor non malos fert fructus; ita quoque novus homo non malum operatur, sed profert fructus justitiæ. Est enim conditus in Christo Jesu ad bona opera, Eph. II, 10. quare novum hominem esse, & malum operari, sunt pugnantia, quæ non possunt dici de eodem subjecto.

Respon-

CAP. VII.

Respondet ad *Consequens* negando. Nam Paulus operatur malum, quod non vult; si verò malum, quod non vult facit, non amplius Paulus illud facit, quatenus est regeneratus, vel spiritualis, & novus homo, sed peccatum, quod in ipso habitat, vel Paulus quatenus adhuc est carnalis, & sub peccatum est venundatus, quod proponit v. 20. v. 20.  
*Si verò id operor, quod ego nolo, non amplius ego id facio, sed peccatum, quod in me habitat.* Ubi Apostolus non simpliciter negat, suos esse motus illos impuros, qui à peccato originali, vel vitioso, & innato habitu in ipso post conversionem emanant; (nam operationes, sunt suppositi). Et si igitur Christianus fide justificatus per totius vitæ curriculum multa in se deprehendit desideria prava, & inclinationes malas; illas tamen quatenus est spiritualis non probat. Nam vetus homo operatur, quod novus homo ex regenerationis gratia non vult, & cui virtute Spiritus Sancti perpetuò reluctatur.

*Secundum Argumentum Apostoli.*

*Paulo volenti bonum facere lex sc. Non concupisces, dicit, vel monstrat, quòd malum ipsi adhareat.*

*E. in Paulo, hoc est in in carne Pauli non habitat bonum.*

*Antecedens* I. proponit vers. 21. Ergo invenio volenti v. 21.  
*mibi facere bonum, legem sc. Non concupisces, dicere, quid mihi malum adhareat.* Ubi Apostolus emphaticè dicit invenio, non autem inveni, ut suo exemplo demonstrat, renatum in hac vita perpetuò peccatum, ejusq; motus pravos in suis membris invenire. Non autem dicit, quòd peccatum originale hæreat tantum in naturæ superficie, ita ut internam naturam impollutam relinqvat. Nam impuritas originalis est malum, quo horribiliter universa hominis natura est perfusa, ut nihil quicquam in illa impollutum reliquerit, sicuti Ap. docet c. 3, 11. & seq. E

AD ROMANOS

2. Probat ex effectu sequenti argumento:

*Paulus delectatur lege DEI secundum interiorem hominem; videt autem aliam legem in membris suis rebellantem legi mentis suae, & captivum reddentem ipsum legi peccati, quae est in membris ejus.*

*E. Paulo volenti bonum facere, lex sc. Non concupisces, dicit, quod malum ipsi adhaereat.*

v. 22. & 23. *Antecedens proponit vers. 22. & 23. delectator enim lege DEI quoad interiorem hominem; sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meae, & captivum reddentem me legi peccati, quae est in membris meis.* Ubi Apostolus suo exemplo docet, quod Christianus fide justificatus delectetur lege illa DEI, Non concupisces, secundum interiorem hominem, id est, quatenus est renatus vel spiritualis, & exoptet, ut legem illam perfectè servare possit; videat autem, dum movetur à Spiritu, & amore istius legis capitur, aliam legem, id est, pravas inclinationes, & motus inordinatos, in membris suis, id est, in intellectu, voluntate, & reliquis potentiis animae & corporis, rebellantes legi mentis suae, id est, bonae voluntati, pio proposito, atque bonae inclinationi ad obtemperandum & serviendum DEO; & captivantem se legi peccati, vel ipsi peccato originali, quod est in membris. Quare lex peccati distinguitur à lege membrorum, ut causa à suo effectu. Ornatur autem, uti Chrysostomus monet, peccatum legis nomine nostro vitio, quia peccato tanquam legi obtemperamus. Quemadmodum igitur milites ferociter dimicant, ut hostem superent, & captivent Domino, cui serviunt; ita quoque peccati originalis concupiscentia, vel pravæ inclinationes magno impetu certant adversus hominis regenerati bonam voluntatem, pium pro-

propositum, & sanctam propensionem, ut peccati dominio subjugetur. Si igitur tanta est potentia vitiosæ naturæ in renatis, quantum dominium peccatum habebit in non-renatis, qui peccati servitutem pro voluptate ducunt, & nullò amplius tanguntur conscientix cruciatu, nec pudore suffunduntur ob admissa scelera, sed legis frandò excusò in tantam peccandi licentiam diffuunt, ut nihil sit tam effusè impium, quod non ausint committere, omni metu iræ divinæ abjectò.

### Objectio Nona.

*Paulum nemo liberat à corpore mortis hujus.*

**E.** *Paulus est Γαλατίας, est miser homo.*

*Antecedens probatur, quia Paulus in suis angustiis, & tentationibus gravissimis ingemiscit, & exclamat: Quis me liberabit à corpore mortis hujus? quod proponit vers. 24.*

v. 24.

*Consequens probatur, quia Paulus est mortuus: Paulo lex: Non concupisces, inventa est ad mortem: Paulus est carnalis &c.*

*Resp. ad Antecedens negando. Quia vox illa: Quis me liberabis à corpore mortis hujus? non est vox dubitantis, vel desperantis, sed peccatum verè agnoscantis, & carnis infirmitatem, atque naturæ pravitatem deplorantis. Nam Paulus à lege, cujus ministeriò, potentià, & sensu mortuus est, convertit sese Spiritus S. gratià ad Evangelium, & ex illo cum magnà fiducià gratias agit DEO per Dominum nostrum Jesum Christum, quod proponit v. 25. Gratias ago DEO per Dominum nostrum Jesum Christum. Ubi ad debitam gratitudinem DEO solvendam pro liberatione per Christum facta exemplò Apostoli accendimur, & argumentò omnis consolationis plenò piè monemur, ut causæ nostræ præsidium adversus peccatum & mortem unice quæramus in Christi perfectissima obedientia. In hoc DEUS nobis omnes suæ bonitatis & misericordiæ thesauros aperuit. Hic animam nostram purgat à deformitate peccati, & est pax nostra Eph. II, 14. Per illum fide admittimur ad thronum divinæ gratiæ, & stamus in gratia DEI Rom. V. i. præter ipsum nemo est, qui nostræ infirmitati subveniat, nobisque adversus*

v. 25.

adversus

AD ROMANOS CAP. VII.

adversus peccatum certantibus præbeat robur, & virtutem invictæ constantiæ, ut in certando non succumbamus, sed ex hoc malorum omnium pelago liberati, tandem inæstimabile lucrum reportemus, & certamina cum triumpho, tristitiam cum gaudio, miseriam, omnemq; afflictionem cum beatitudine ineffabili permutemus. Quibus propositis Apostolus sequenti argumento concludit:

*Paulus delectatur lege DEI secundum interiorem hominem, videt autem aliam legem in membris suis rebellantem legi mentis suæ, & captivum reddentem legi peccati, quæ est in membris ejus.*

*E. Paulus mente quidem servit legi DEI, carne verò legi peccati.*

Consequens proponit versu eodem: *Igitur ipse ego mente quidem servio legi DEI, carne verò legi peccati.* Ubi nobis duplex exhibetur servitus hominis renati: una est spontanea, altera est invita. Principium QVOD utriusque servitutis est Paulus Apostolus: Nam *ipse ego, inquit, mente quidem servio legi DEI, carne verò legi peccati.* Principium QVO servitutis spontaneæ est mens, nam mente, inquit, sc. renovatâ, id est, motibus & propensionibus spiritualibus, quas Spiritus S. in me excitat, servio legi DEI: *Non concupisces.* Principium QVO servitutis invitæ est caro, nam carne, inquit, id est, motibus & inclinationibus carnalibus, vel quatenus etiamnum ex parte sum carnalis, servio legi peccati, id est, ipsi peccato originali contra legem DEI: *Non concupisces.* Ubi erudimur, quòd libertas, quâ renatus in hac vitâ liberè & motu spontaneò servit DEO, sit imperfecta, & multis infirmitatibus coinquinata. Quare interior noster homo de die in diem renovatur II. Cor. IV, 10. Vigilemus igitur, & ardenti pectore oremus omni tempore & loco, novisq; viribus quotidiè à Spiritu S. acceptis legitime contra peccati suggestiones certemus. Qui enim vult coronari, illius est in hac vita probare, quænam sit voluntas DEI, armis legitimis certare, & in inchoato cursu strenuè progredi, ac sub firmissimâ spe redemptionis vehementi desiderio expectare plenariam liberationem à corpore mortali, & carne peccatrice. Nemo enim coronabitur, nisi legitime certaverit. Legitime autem certat, qui Spiritu opera carnis mortificat, & in vitæ novitate ambulat, mundi q; indignatione spretâ, vitam suam novo marito Domino nostro Jesu Christo, qui Ecclesiam, Sponsam suam electam sanguine meratus est, sincerò pectore, & sine hypocrisis consecrat.

*Ad Praestantissimum*  
DN. DERENTHALIUM,  
DE STATU ET OFFICIO NOVI HOMINIS  
disputantem,  
**EPIGRAMMA.**

**C**ARE DERENTHALI, quem pulcra Livonia finxit,  
Dic mihi, materies cur placet illa tibi?  
Fallor? an ad mentes & cursum respicis anni,  
Et cum vere NOVO fors cupis esse NOVUS?  
Vere NOVO RENOVATUR ager, RENOVATUR ararum,  
Ac facit officium rursus, ut antè, solum.  
Vere NOVO Servator adest, & Pascha celebrat,  
Fermentumq; vetus nos remove juber.  
Auguror, & causam scio; prudens tempora servas,  
Temporibus simul tu te, Amice, NOVA S.  
Sat bene, satq; piè: juvat ista NOVATIO multum,  
Scilicet & patriæ fert NOVA grata tux.  
Perge NOVIS ausis, dum res finit atqve juvenus,  
Sic eris in Christo tu quoque massa NOVA.  
Ætherei proceres tali NOVITATE moventur,  
Exultantq; polo, quando NOVATUR homo.  
GEORG Amsel / Rost. LL. Stud.

**A**ch seh ich nicht anieht die Engel selbst verliebet  
In seinen klugen Mund / in seinen hohen Geist  
Herr Derentahl / Er ist / der uns die Bahne weist /  
Wie man sich theurer Kunst auß aller Krafft ergiebet.  
Glück zu! wann sô ein Tahl sich über Stern mag sehen  
Ach! solten sich daran die Engel nicht ergehen?

Seinem hochgeehrten Herrn setze dieses nebst  
Wünschung aller Glückseligkeit eiligst

HERMANNUS Lebermann /  
von Lübeck.

Ein

**E**n Tapffer / dessen Geist durch kluges Kunst - Beginnen  
 Den Jugend - wunder Ruhm der Welt kan abgewinnen  
 Bestehe den theursten Sieg: Ihm Adler Derentahl/  
 Bekränkt die Fama zwar durch wolgeroffne Wahl  
 Der rechten Jugend - Bahn; doch läßet Reidhard spühren:  
 Es muß das Feuer den Rauch mit in den Lüften führen.  
 Die Jugend zeugt den Reid. Doch der auff Marmor baut/  
 Den stürzt kein harter Sturm: kein langverscharrtes Kraut/  
 Bermodert samt den Stam: die saurgequolne Wellen/  
 Verschlucken keinen Palm: kein Theons Ax kan fellen/  
 Der Jugend schwächsten Pfropff: drum bleibet nur geherzt/  
 Die Jugend wird verlust / ob Reidhards Gifft gleich schmerzt.  
 Dieß wenige hat auß schuldiger Willigkeit seinem  
 großgennigten Freunde hinterlassen

Johann Caspar Riß.

**I**n nova, fert animus, conamina, dicere, docti  
 Immutata Viri. Themidi gratissimus olim  
 Miles erat; jam se Paulinis credidit armis,  
 Desertisq; Dea castris nova signa secutus,  
 Officiumq; novum renovati militis audet  
 Ipse novus miles mirà ratione tueri.  
 Scilicet ostendit, quantum novus ardor in armis,  
 Et laudis studium primo certamine possit.  
 Perge; novos ausus magni comitentur honores.  
 Perge; novum studium renovet pietatis amorem.  
 Te florente novas vires Ecclesia sumat,  
 Aetheriisq; novus tandem annumerare colonis.

Paucis hisce, de specimine eruditissimo, gratu-  
 lari debuit amico suo longè hono-  
 ratissimo

Georg. Christoph von der Läche.



**D**isputat omnis iners verborum Cortice inani,  
Disputat, At nescit quidve Sophista velit,  
Sic blaterare, logos sic vendere, fallere & ipsis  
Heresiarcha valet, dixeris hos sapere?  
Quid Scriptura velit? quæ mens sit Principis? illud  
Eruere ac solidè reddere iussa DEI  
Hoc opus, hic labor est; inventis addere quiddam,  
Judicioq; frui, hæc anteferenda forent,  
Tu DERENTHALI pergas arcana modestè  
Scrutari & nugas verbaq; linque aliis.

*Sic inter occupationes voluit*

*Albertus Willebrandus, J. D. Cod. Prof.  
& Consist. Ducalis Assessor.*

**Q**ue tibi materies discursus risit. AMICE,  
Hæc hominis status est, officiumq; novi.  
Non magè divinum poteris versare laborem,  
Nil dare per vitam, crede, salubre magis.  
At justà defende theses ratione, scopumq;  
Figere quem deceat. Tu tibi cautus habe.  
Non satis esto tibi NOVITATEM voce crepare,  
Req; VETUSTATEM prodere fortè meram.  
Non ita: materies, quam traclas, *περὶ τῆς*, AMICE,  
Postulat; hæc nihil est, dicere; scire, nihil.  
Ergo NOVOS HOMINES sic disertare memento,  
Ut penitus fias Tu NOVUS ipse simul.  
Si quid adhuc animo *vetus & carnale* remansit,  
Abjice nunc totum, nunc procul omne fuga.  
Post, pro *carnis*, facer dominetur SPIRITUS in te,  
Postq; statum decoret VITA NOVELLA tuam.  
Sic benè ceder opus, *Roseamq;* merebere laudem,  
Sic tibi, sic Patriæ nil nisi splendor eris.

*AMICISSIMO suo benivolâ mente, adfectuq;  
planè favente scrib.*

HENRICUS Dringenberg / Prof. Publico

Dum

**D**Um *per amate!* HOMINIS, tentas, ostendere JUSTI  
Naturam: prodis sedulitatis opus.  
Perge Juvante DEO. talem, præclara laborem  
Dona sequentur, Honos, præmia grata brevi:  
Lactat honos artes, invitant præmia mentes  
Rara sed ingeniis reddita dona vides.  
Præmia dum studiis defunt, vel quantulus artes  
Sustentet miseras, isq; redemptus honos.

*Pauca hæc, celerrimo calamo, affini suo suavissimo,  
l. meritoq; apposuit*

*M. Ludovicus Barclajus.*

**Q**Vem nubes varix invidere, videmus in urbe  
Fulgere nunc Solem luce tui ingenii:  
Errorum pellat tenebras, radietq; per orbem  
Ut nostri, pariter cognitione DEI.  
Sic sub Sole solumq; polumq; novus veluti Sol  
Lustrabis claro lumine perpetuus.

*Præstantissimo Dno Respondenti, Amico  
examusim certissimo scrib.*

*Georgius Heilgendorffer.*

**W**Un alles sich erneuert; So wil dein Fleiß auch zeigen  
Wie ein erneuter Mensch in seinem Dienst sich neigen  
Und tapffer streiten soll! Es ist der Tugend Schuld/  
Daß sich ein Himmels-Kind bemühet ümb Götters Huld.  
Fahr fort mein Pylades! dann deines Namens Höhen  
Wil Melpomenen Hand in ihren Schleyer nehen;  
Thalia dichtet schon ein Lied auff deinen Glanz/  
Und Daffne sicht dir selbst den grünen Lorber-Kranz.

So beehrete seinen hochgeehrten Herrn Bruder  
und vertrauesten Freund zu beharrlichem  
Andencken

*Johann Caspar Justi, Thuringus.*

*Ad*










**D**isputat omnis iners verborum Cortice in  
Disputat, At nescit quidve Sophista ve  
Sic blaterare, logos sic vendere, fallere &  
Heresiarcha valet, dixeris hos sapere  
Quid Scriptura velit? quæ mens sit Princip  
Eruere ac solidè reddere iussa DEI  
Hoc opus, hic labor est; inventis addere q  
Iudicioq; frui, hæc anteferenda forent  
Tu DERENTHALI pergas arcana modestè  
Scrutari & nugas verbaq; linque aliis

*Sic inter occupationes*  
*Albertus Willebrandus,*  
*& Consist. Ducalæ Asses.*

**Q**uæ tibi materies discussas risit. AMICE,  
Hæc hominis status est, officiumq; novi.  
Non magè divinum poteris versare laborem,  
Nil dare per vitam, crede, salubre magis.  
At justà defende theses ratione, scopumq;  
Figere quem deceat, Tu tibi cautus habe.  
Non satis esto tibi NOVITATEM voce crepare,  
Req; VETUSTATEM prodere fortè meram.  
Non ita: materies, quam tractas, *περὶ τὴν*, AMICE  
Postulat; hic nihil est, dicere; scire, nihil.  
Ergo NOVOS HOMINES sic disertare memento,  
Ut penitus fias Tu NOVUS ipse simul.  
Si quid adhuc animo *vetus & carnale* remansit,  
Abjice nunc totum, nunc procul omne fugam  
Post, pro *carne*, sacer dominetur SPIRITUS in te  
Postq; statum decoret VITA NOVELLA tu  
Sic benè ceder opus, *Roseamq;* merebere laudem  
Sic tibi, sic Patriæ nil nisi splendor eris.

*AMICISSIMO suo benivolâ men  
planè favente*  
HUNRICUS Dringenb



prof

09A

ubl  
Dun